



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

3. Prudentia Politica & Polemica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Plutoniis vinculis detentus didicit, quid sit in orcum, amici gratia (Pirithoi) descendere; & quid, fortiorem per amicum inde eluctari. Theseus viris fortissimis auxilio fuit, ut Meleagro in conficiendo apro Calydonio, Pirithoo pugnanti contra Centauros, Herculi contra Amazonas, nulla ferò relato prœmio, quod Herois est, virtutem & laudem, non mercedem spectantis.

III. (c) Jam quanti, quàmque intricati atque implexi sunt in Aulis ac negotiis Principum Labyrinthi? peribit hîc Theseus, nisi per fidam Ariadnen explicetur; *Prudentiam* intelligo *Politicam & Polemicam*, fidelesque consiliarios, quorum directione ac ductu secura ponat vestigia Principes. Hesiodi sententia est apud Lipsi. de civil. doct. lib. 3. c. 2.

Laudatissimus est, ipse qui cuncta videbit,

Sed laudatus & is, qui paret recta monenti.

Et Plinius in Paneg. Traiani: Singuli decipere & decipi possunt: nemo omnes: neminem omnes fefellerunt. Confirmat Salomon Prov. 24. *Salus, ubi multa consilia.* Veluti multa in glomere fila; hæc quamvis subtilia, plus possunt, quàm crassi rudentes, quia minorem voluuntur in globum, ut legantur securiùs; & citiùs explicantur in longum, quò ducant plures. Vir doctissimus meritò Bellum Labyrintho comparat, quem cuique semper ingredi licet, sed ingresso non semper egredi; ab eo sumptus absorbentur (Minotaurum cogita) existimatione priùs conceptâ majores, Sfortia Palavicin. lib. 2. hist. Concil. Trid. c. 13. Et Sallustius in Jugurtha: Omne bellum sumitur facilè, ceterùm ægerrimè desinit; nec in ejusdem potestate initium & finis est. Illud incipere etiam cuivis ignavo licet; deponitur, cùm victores velint.

IV. (d) Peccavit Theseus in amicitia cum Pirithoo contracta, temerè magis, quàm sapienter. Nam quid? Pirithoo visum est uxorem ab inferis accersere; ergo amicus eius usque ad Stygem sequendus erat? In proverbii refertur: *amicus usque ad aram.* Quod à Pericle, Duce Atheniensi clarissimo, profluxit; quem cùm amicorum quispiam rogaret, ut in causa quadam, suâ gratiâ falsum dejeret, reposuit *δὲ με συμπράξαι τῶν φίλων, ἀπὸ ἀρχαίων βίωντων. oportet me commodare amicis, sed usque ad aras.* Olim enim jurantes aram tangebant. Hæc igitur prima lex, inquit M. Tullius, in amicitia fanciatur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati. Contra quam legem peccavit C. Blossius Cumanus, qui T. Gracchi in conjuratione focius, cùm, ut sibi ignosceretur, causam afferebat, quando tanti Gracchum fecisset, ut quidquid ille vellet, sibi faciendum putaret,

(c) *Prudentia Politica & Polemica.* (d) *Amicitia vituperabilis.*